

prout talia rite, & legitime processerunt, & ex justo titulo possederunt, aut possidere ut prædicitur desierunt, ex certa nostra scientia pro nobis, & dictis nostris successoribus approbamus, ratificamus, auctorizamus, confirmamus, ac etiam de novo concedimus, & donamus nostris imperii sacri, & aliorum juribus in præmissis omnibus semper salvis. Ceterum auctoritate Imperiali ipsis Marchionibus, & eorum hæredibus ex speciali gratia concedimus, & favorabiliter indulgemus, ut in suis castris, terris, & locis licite auri, argenti, & alterius metalli monetam bonam, & legalem, quæ debitis pondere, & materia non fraudetur sub propriis suis signis, caracteribus, & figuris cudere, seu cudi facere absque aliorum præjudicio libere valeant in futurum. Præterea quia relatione condigna nostra recepit serenitas, quod progenitores dictorum Marchionum, & ipsi etiam Marchiones a nonnullis potentibus vi, & metu, qui cadere possit in constantem alias sint coacti, quod ipsi se, & successores ipsorum metu pœnæ, cui resistere non poterant adversus imperialis juris, & communis justitiæ sententias ad certas submissiones, pactiones, conventiones, promissa, fœdera, nec non tutiones, & salvas guardias dictis potentibus obligarunt non absque nostro, & sacri Imperii, atque Reipublicæ notabili dispendio pariter, & jactura nos præfatis omnibus consideratis, & in examen proinde discussionis adductis, quamvis illa, quæ sunt contra juris positivum, & rationis ordinem, ac etiam præjudicium sacri imperii nota dispendia inita, tractata, seu conclusa noscuntur, ipso facto nullam obtineant roboris firmitatem, tamen ad abundantioris cautelæ præsidium, & ut præfatis Marchionibus securius caveatur, omnes, & singulas pactiones, submissiones, conventiones, promissa, fœdera, tutiones, & salvas guardias hujusmodi quibuscumque sententiis, verbis, punctis articulis, & clausulis inita, conceptæ, seu conclusæ noscuntur voce, vel scripto publice, vel occulte, quibus etiam cautionibus promissionum, juramentorum, aut fœderum vallatæ noscantur de certa nostra scientia, & de Imperatoriæ potestatis plenitudine revocamus, cassamus, decernimus, ac penitus annullamus, decernentes, pronunciantes, definientes auctoritate qua supra, ac etiam de certa nostra scientia declarantes omnes, & singulas submissiones, pactiones, conventiones, fœdera, promissa, tutiones, & salvas guardias, & omnes securitates ad hoc præstitas quovis modo, & quævis inde secuta nullius roboris, seu virtutis existere, nec ad talium observantiam, & executionem prædictos Marchiones, aut aliquem eorum aliquatenus obligari: restituentes eosdem in integrum, & in libertatem pristinam, qua freti sunt antiquis temporibus priusquam dictas novitates inirent, ut omni, & totali primitiva plenissime gaudeant libertate; sic quod affuturis temporibus nobis, & dictis nostris successoribus, ac imperio sacro, ut eorum veris, ac naturalibus ordinariis dominis solummodo, & non alteri cujuscumque dignitatis, præminentia, gradus, status, aut conditionis extiterit subesse, obsequi, obedire, intendere, & parere debebunt, suppletes omnem defectum si quis in

præmissis, vel eorum aliquo obscuritate, seu dubia interpretatione verborum, sententiarum ecc. Nulli ergo hominum liceat ecc. Si quis autem contrarium temere attentare ecc.

Signum Serenissimi Principis, & D. D. Caroli quarti Romanorum Imperatoris invictissimi, & gloriosissimi Bohemiarum Regis. Testes hujus rei sunt illustrissimus Rodolphus Dux Saxoniarum ecc. Datum Pragæ anno Domini MCCCLXIV. indict. XII. secundo nonas martii Regnorum nostrorum anno decimo octavo, imperii vero nono.

*Literæ commendatitiæ pro hospitali loci Bestagni.*

MCCCLXIV.

314

Jacobus ex Marchionibus Incisæ canonicus Aquensis Rev. in Christo Patris, & D. D. Guidonis Dei gratia Aquensis Episcopi, & Comitis in spiritualibus Vicarius generalis, dilectis nobis in Christo universis, & singulis Christifidelibus tam Clericis, quam Laicis præsentibus literas inspecturis salutem in Domino. Cum ad subsistentiam, & receptionem pauperum, & egenorum confluentium ad hospitale fundatum in loco Bestagni per præfatum Dominum Episcopum coadjutantibus ei ad præmissa multipliciter fidelibus hominibus dicti loci, & in honorem Dei, gloriosæ Virginis Mariæ ejus matris, & Beati Nicolai propriæ non suppetant facultates, vos omnes, & singulos hortamur in Domino, vobisque vestrorum injungimus remissionem peccatorum, quod de bonis vobis a Deo collatis velitis Vercellono de Maxino latore præsentium circa sustentationem hujusmodi pias elemosinas misericorditer elargiri. Vobis igitur omnibus, & singulis Abbatibus, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbiteris, Presbiteris, & Ecclesiarum nostræ Aquensis Diocesis Rectoribus injungendo mandamus, quatenus sub excommunicationis pœna ipsum Hospitalerium latorem præsentium populo vobis commisso recommendare curetis, ipsumque populum inducentes verbo pariter, & exemplo, ut eidem circa pietatis opera præstent subsidium, & favorem, ut per hæc, & alia bona, quæ Deo inspirante feceritis, & fecerint, ad æternæ felicitatis gaudia possitis, & valeatis pervenire. Nos igitur auctoritate, qua fungimur de omnipotentis Dei misericordia, & Beatæ Mariæ Virginis, ac Beati Nicolai confessoris precibus confidentes omnibus, & singulis Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui eidem hospitali, seu prædicto hospitalerio nomine dicti hospitalis manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Et ut dictum hospitale favoribus, & gratiis amplioribus prosequamur ad laudem, & gloriam ineffabilis Trinitatis, Beatissimæque Virginis Mariæ Matris Dei supra nominatæ, ac prælibati Beatissimi Nicolai, & ut Christicolæ ad suas elemosinas largiendum ferventius animentur prædicto Vercellono, & aliis, qui ad dictum questum faciendum ponentur, concedimus, ut unam campanellam deferre, & pulsare possint de gratia speciali, ut inter quæstores alios cogoscantur nullum alium quæstorem cum nostris literis Domini fratris, vel sine admittatis, imo si